

/ Nobilis, et generose Domine. Molestissime fero non inveniri istic rationem, qua necessitati, et pudori vestro consulatur. Sperabam enim Reverendissimos, et Illustrissimos, addo etiam ditissimos Episcopos, et Principes Germaniae, quibus Nobilitatem tuam de meliori nota commendavi, ita jam sublevasse inopiam nobilis Germani, ut non esset opus ex Italia atque adeo ex Urbe auxilium implorari; nam Summus Pontifex habet tam multos, qui undique ad se confluunt ex omni natione, ut quamvis ad centum millia coronatorum quotannis in pauperes distribuat, ut ex Eleemosinariis ejus, quos plures habet, cognovi, 5 tamen non possit omnibus satisfacere; praesertim cum, praeter privatas personas, integra Collegia, vel Seminaria sustentare cogatur, non solum in Italia, sed etiam in Germania, in Belgio, in Groecia, atque ad 10 eo in ultima Japonia. Haec causa est, cur non audeam stipendia pecuniaria a Sanctissimo Patre pro eo viro petere, qui non in desertis 15 locis aut inter hostes versatur, sed in Civitate, et in vicinia Episcoporum Catholicorum, ditissimorum, piissimorum. Videor enim mihi et illis injuriam facere, et huic sine causa molestiam creare. Canonice vel aliud beneficium Ecclesiasticum Sanctitas Sua promisit, et promissionem implebit, si necesse sit, et occasio se offerat. Ceterum 20 Nobilitas tua, quomodocunque succedant temporalia, non debet nimia solitudine fatigari, sed in Deo confidere; non enim mentitur qui dixit: Quaerite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis; scit enim Pater vester, quia his omnibus indige- 25 tis. Et si forte Patri nostro placet, ut temporalia nobis desint, quo facilius ad aeterna toto animo suspiremus, id etiam in lucro ponendum est; nihil enim potest felicius contingere Christiano, quam ut per eam viam ducatur ad regnum, per quam Christus ipse Magister, et Dominus noster ingredi voluit. Christus autem passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Quare Divus 30 Paulus Thessalonicensibus gratulatur dicens: Vos autem fratres, imitatores nostri facti estis, et Domini suscipientes verbum in tribu-

/ latione multa; et Philippensibus dicit: Vobis donatum est pro Chris-  
to, non solum ut in illum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.  
Et ad Hebraeos scribit: In quibus illuminati magnum certamen sus-  
tinuistis passionum, et in altero quidem opprobriis, et tribulatio-  
5 nibus spectaculum facti in altero socii taliter conversantium effec-  
ti: nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum  
gaudio suscepistis. Nos igitur, optime Francisce, qui per gratiam  
Dei, Paradisum Patriam computamus, non debemus in hoc exilio multum  
de temporalibus laborare, scientes nos habere meliorem et manentem  
10 substantiam, fundamenta videlicet habentem Civitatem, cujus artifex  
et conditor Deus est. Haec pauca scribere libuit, ut cum non lice-  
at mihi re ipsa succurrere necessitati amici, saltem verbum conso-  
lationis verissimae non negaretur. Valeat Nobilitas sua mei memor  
in sanctis precibus. Romae die 16 Septembris 1613.

---

15 Epist.fam. CIV.